19

GRATULATIO
AD
NOBILISSIMUM AMPLISSIMUMQUE
VIRUM
D. SIMONEM PAULLI
H. FIL. S. NEP.
AUGUSTISS. III. DANIÆ AC NORVAG.
REGUM
CHRISTIANI IV.
FRIDERICI III.
CHRISTIANI V.
ARCHIATRUM,
PRÆLATUM ARHUSIENSEM,
PRIMUM ANAT. CHIR. ET BOTAN.
OLIM IN REGIA HAUNIENSI
ACADEMIA P. P.
ET HOC TEMPORE,
ARCHIATRORUM REGIORUM SENIOREM,
AD ANN. XLV. SALUTAREM ARTEM
EXERCENTEM FELIC.
IN AUSPICIIS.
ANN. CHRIST. cIↃ IↃcLXXV.
QUO BREVI VITÆ LXXII.
ABSOLVET,
BONI OMINIS AMICITIÆQUE CAUSA
HAMBURGO MISSA
AUCTORE
MICHAELE KIRSTENIO.

ANNO 1675. 2. JANUAR.

Artis eſt vultus decus Æſculapi:
Longior vitæ vigiles miniſtros
Vita commendat, ſpecimenq́; veri
Eſt Senis ætas.

Hæc tot annorum bona gratulamur
Rurſus, & Phœbi redeuntis ortus
Sæpè felices, cumulata mitis
Munera cœli.

Quod favent magni nitidiq́; ſoles,
Qui regunt terras, quoq; gratulamur,
Auctor eſt princeps DEUS, eſt ſecundus
Ortus ab illo,

Inſtar eſt Solis, bonus & ſerenans
REX, ſuis. PAULLI, ſatis hoc beatus
Es ſimul: Virtus tua ſumma fauſtô
Sidere vincit.

Tu trium, rara bonitate fati,
DANIÆ REGUM, celebris Machaon
Diceris. Cedes nihil hoc CRATONI,
Auſtria felix

Im-

Imperatorum veluti Galenum
Quem trium miraris habuit secundum.
Rara præcellunt. Tibi CHRISTIANUS
QUARTUS, agendo
Acer, & Regni FRIDERICUS Atlas
TERTIUS favit: tibi CHRISTIANUS
Nunc favet QUINTUS, propriâ suprem⁹
Sorte Monarcha.
Eminet cœli favor atque Regum,
Non iis gaudet, nisi magna virtus,
Quæ suis præstat meritis, honorum
Luce coruscâ.
Tu rei vindex medicæ, sciendi
Auctor, & dextrâ validus secante,
Et potens herbis, viridisq; Floræ
Cultor, & artes
Non satis notas reperire solers:
Queis levas ægros, & adhuc valentes
Adjuvas: morbos caput impetentes
Fonte refossô,
 Vin-

Vincis imprimis, vitiumq́; nervos
Occupans arces. Magis at monentem
Te, genus Pyrrhæ, faciles amabunt,
Commoda doctæ
Virgines, nuptæ tibi dona reddent.
Stabis ex fuso potius metallô
Cynthii jussu, Pariove Saxo
Posteritati.
Hoc sit æternum, tibi quod canebam:
Se satis prodit, fugiens Camæna:
Me lupus vidit. Veteres novanti
Parce querelas.
Perditæ vires, animiq́; PAULLI,
Et mares Musæ strepitus Latinæ
Deficit Vatis tuba Mantuani
Magna sonantis.
Luditur Sapphus mediocre Carmen
Aptius, credo: Redit ad jocosa
Et leves ausus, gravibus relictis
Grandior ætas.
Sed

Sed (nisi spernis vetuli clientis
Fraudis expertes monitus) labores
Mitte, concedens requiem senectæ
Otia menti.
Est minor, puncto spatiosa vita,
Quidquid hic magni struitur pusillum:
Cuncta, se nitens animus Deoq́;
Possidet æquus.
Vive, quod restat fugientis ævi:
Quidquid extremo superest in actu
Lene decedat, nihil exeuntis
Vota moretur.
Quod facis, cedens iterare pergas,
(Sed tamen serò cupimus) FAVETE
O BONI, NOSTRI MEMORES,
VALETE,
PLAUDITE, VIXI.

